

ex merito. Quod ad me, si modò non supponatur opinio meritorum ex condigno, non dubitarim in affirmantem concedere sententiam. Reservemus verò hoc futuræ scholæ.

42 **ITA ET RESURRECTIO MORTUORUM**) Subintellige, *erit comparata*. Nunc quæ hæctenus ex doctrina physica adversus Epicuræos disputavit, in lituto suo applicat. Particula *ἔτι* omnia præcedentia resurrectioni mortuorum corporum accommodanda esse docet: quòd sicut semen in terra emortuū renascitur nō nudum, ut fuerat seminatū, sed prout Deus illud vestiverit, idem substantiâ, qualitatibus differēs: ita corpora nostra vivificabuntur eadē substantiâ, qualitatibus diversa. Recenset aliquot qualitates corporum humanorū, quas nunc habent: hisque opponit dotes, quas in resurrectione sunt habitura: quæ tamen corporum naturam minime destruent, sed perficient. Propriè igitur nunc respondet ad illud ver. 35. *ποτὸν σπέρμα ἐκ γῆς ὄνεται*; **SEMINATUR**) nempe in sepultura. Verbo seminandi resurrectionis fidem asserit, docens sepulturam non esse interitum, sed sementem, & respicit simile ver. 36. 37. quasi dicat, sicut dixi, semen quod seminatur in terram mortuum reviviscere, & aliud feminari aliud reviviscere: ita corpora humana mortua & seminata in terram resurgent: sed alia seminantur, alia excitabuntur, substantiâ & numero eadem, dotibus longè præstantiora futura. Quatuor verò qualitatū *συνυγίας* facit. *Prima* spectat qualitates passibiles: *seminat* *ἐν φθορᾷ*, seu, *φθαρτόν*, *corruptibile*, seu corruptioni obnoxium: quod mox in pulverem solvitur propter peccatum, ex Dei interminatione: *Morte morieris: In pulverem reverteris, &c.* **EXCITABITUR IN CORRUPTIBILE**) nulli passioni, corruptioni vel morti obnoxium. Hæc prima dos erit impassibilitatis & immortalitatis.

43 **SEMINATUR IN IGNOMINIA**) Altera *συνυγία* spectans formam externam. Corpus mortuum est cadaver deforme, pallidum, frigidum, rigidum, fœdum aspectu, quod nemo libens videat, tangat. Non hoc vult, sepulturam esse turpem aut honestè fieri non posse: sed quòd in funeribus nihil sit pulcrum, lætum, sed tristitia, lugubria, deformia omnia.

EXCITATUR IN GLORIA) Id est, gloriosum, quia corpora beatorum erunt pulcra, fulgida, coruscantia, stellarum & solis instar. Hæc dos erit claritatis & pulcritudinis. Non quòd futura sint pellucida, non solida corpora: sed quod fulgore cœlesti micabunt, oculis mortalibus vix aspectabilia: quomodo facies Moysis, luce cœlesti perfusa, spectari à populo non poterat, nisi per velum. Cuius gloriæ Christus in monte specimen exhibuit in seipso. Matth. 17.

SEMINATUR INFIRMUM) Tertia *συνυγία* spectat vires. Seminatur cadaver infirmum, sensu, motu, facultatibus omnibus destitutum: quod vermes & putredinem arcere à se nequit.

EXCITABITUR ἐν δυνάμει ΠΟΤΕΝΣ) quia tunc virtute spiritus Dei corruptionem à se arcebit: nec indigentia, infirmitati, defectui ulli subiectum erit: sed ut pulcritudine, ita facultatibus erimus similes angelis Dei. Nec tamen fingendum est, beatos fore omnipotentes: qui corporibus se ubique diffundere, simulque omnibus aut pluribus locis præsentem esse possint. Nam hoc ne angelorum quidem est, sed solius Dei. Hæc igitur dos erit facultatis, quòd poterunt facere, se movere momento, quòdcunq; & quocunq; volent.

44 **SEMINATUR CORPUS ANIMALE**) Quarta *συνυγία* spectat formam internam. Seminatur animale, non quòd corpus in sepultura sit animale, sed quòd fuerit tale in vita. *Ψυχικόν*, animale, quod *ψυχή* anima infor-